...a Potok

...art. Jgn. Flumen Areniarium ius...
lachrymis exundans.

FLVMEN SRENIAVIVM, IVSTIS LACHRYMIS EXVNDANS.

PERENNI MEMORIÆ

JLLVSTRISSIMÆ olim & MAGNIFICÆ DOMINÆ

D. SOPHIÆ

à Potok,

JLLVSTRISSIMI & MAGNIFICI DOMINI

D. JOANNIS

à Lipie

LIPSKI.

Sandecensis, Chouiensis, &c. &c. CAPITANEI

S. R. M. Colonelli.

CONSORTIS LECTISSIMÆ

DVM

in Ecclesia P.P. Minorum de Obseruantia Conuentûs Stradomien:

JUSTA EI FUNEBRIA

Magno omnium Dolore persoluerentur.

A. M. MARTINO IGNATIO FRANKOWIC, *Philosophiæ Doctore, Canonico Bobouiensi, ViceCustode Neosandecensi.*

Parentali obsequio

CONSECRATVM.

Anno Salutis, 1677. *Die* 6. *Septembr.*

CRACOVIÆ, Ex Officina SCHEDELIANA, S. R. M. Typogr.



IN STEMMA
JLLVSTRISSIMÆ DOMVS
LIPSCIANÆ.





Bistonidum grandes cunei, Scythicæq; phalanges,
  Inuicta quoties hîc cecidêre manu.
Hostili toties rubuit SRENIAVA cruore,
  Totq; triumphorum clara trophea tulit.
Nunc lachrymas voluit, nunc gurgite fertur amaro;
  Quin potiùs lætis defluat ille vadis.
Si dolet ereptam tanto de Sanguine Gemmam;
  Gaudeat, hæc Gemma est iam meliore loco.

JLLV



JLLVSTRISSIMO ET MAGNIFICO

DOMINO

D. JOANNI

à Lipie

LIPSKI.

Sandecenſi, Choviensi, &c. &c.

CAPITANEO.

S. R. M. Colonello.



Xæquare lachrymis dolorem Tuum, nemini quidem conceſsum; ſiccis tamen oculis poſse Te intueri, dum Conſorti amantiſsimæ parentas, cenſeo vix humanum, Illuſtriſsime & Magnifice Domine. *Ab Heroico pectore Tuo, procul illi dolores; in quibus nihil citiùs, quàm láchryma areſcit: altum nihilominus eſt, quod Te penetrat, & ſerio expenſum; quàm iuſtè debeat æſtimari cum iactura cordis dimidij conſtat. Luctari in Te oportet, ſummam amoris & iudicij vim; vtrinq; níſu maximo, an Te dolori impertias an obfirmes? quidquid tamèn egeris, fortis vt mors dilectio vincit. Meruerat illam Vitæ Socia, tanto illo animi vigore; tanto virtutum & dulcis conſortij nexu; à quo diuidi, & corde non ſcindi, haud prodigio vacat. Matrona virtutis conſummata in breui; puſillum iſtud, quod vitale habuit. dotibus eximijs adeò iucundum Tibi fecerat; vt ignores, an momentum fuiſset. dolente Tecum Orbe Polono, dum ingentibus deſiderijs excidit; qui eam optauerat Heroas Tibi ſimiles genuiſse. Intererat quippe,* Sreniavivm *hoc decus, quod Tu Summâ virtute, & authoritate ſuſtines, ex voto Patriæ propagari: Te*

ri: Te

ri: Teq; in propagine Sua; seculis illis reddi; in quorum exempla laborasti. Ita Auctus in Te LIPSCIORVM *Sanguis, æuo Nostro tot secula reddit; quot in Te belli pacisq; decora, ad normam priscæ gloriæ exacta veneramur. Ita* HIERONYMVS *à Lipie* LIPSKI *Parens Tuus, magnum in Te nomen continuat; gaudetq; Martem suum in Te viuere, & excelsi animi indolem triumphare. Manubijs ille hostium plenus, pro bono publico inuictus, recusatis Senatorijs Curulibus admirandus, in coronamentis gloriæ Tuæ cernitur; magnâ illâ mente superstes adhuc Nobis; quâ Tu & Ciuis optimi, & Bellatoris fortissimi munia imples. Actus Tui Heroici creuerunt per omne genus hostium; bellis à Septemtrione, Austro, & Oriente maximis; in quæ Patrimonij, Sanguinis, & Vitæ dispendio iuisti semper; non cōputans pericula, sed amans & deposcens. Præter Suecicas, Pannonicas, Moschicas, Cosacicas, Scythicas laurus; Chocimenses ex Turcis manubiæ, fortissimâ dexterâ Tua quæsitæ; Augusti capitis gloriosissimo triumpho in Te quoq; redundant. Cruentus in* SRENIAVA *Tuo detumuit Hellespontus; toteq; hoc tempore, quidquid contra immanem Orientis potentiam egimus, theatrum virtutis Tuæ bellicæ fuit. quâ & cohortes militares sumptu Tuo instructas; & Te ipsum Patriæ munimento dedisti. Summa proinde æstimatio Tui, apud Principem, apud Senatorij Ordinis Viros, & vniuersam Rempublicam; quæ Te Marschalcum Conuentuum Publicorum, Nuncium ad maxima Comitia, Commissarium Palatinatûs Cracouiensis, Rothmagistrum Districtûs Sandecensis, & alijs præclaris muneribus, Summâ cum laude perfunctum; magni animi, & consilij Virum, vt amat, vt æstimat; ita spectatissimam Virtutem Tuam eminentiùs prouehi, ex voto publico desiderat. Dolor hic ergo, qui Te inundat; non Tuus tantum, sed Patriæ quoq; dolor est; quæ Matronam Lectissimam, delitio cordiq; Tuo ereptam, alto gemitu prosequitur; ex qua os, humerosq; Tibi Similes, Ciues sibi auebat; in quibus Heroicus Tuus viueret, & Animus, & Sanguis. Ad has iusti doloris lachrymas, me quoq; summa Tua dignitas, gratia, & amplissimi Nominis Tui veneratio induxit; quæ Fluuio Tuo* SRENIAVIO, *& Parentale obsequium, & mea pro Te vota deferunt; vt quantum nunc lugubribus hisce vndis, iustus dolor Tuus excreuit; tantum in Te Diuinis è cœlo solatijs, decus omne felix, & longæuum exundet.*

Illustrissimæ & Magnificæ
Dominationis Vestræ,
Obseruantissimus

M. MARTINVS IGNATIVS FRANKOWIC, Ph: Doctor,
Canonicus Bobquiensis, ViceCustos Neosandecensis.

FLV-



FLVMEN
SRENIAVIVM,
IVSTIS LACHRYMIS EXVNDANS.

Ingentium dolorum occasio,
breues deliciæ;
lachrymarum non fontes aperiunt, sed cataractas.
Excors nimirùm
nunquam magis cor euiscerat Libitina;
quàm dum ad irritationem doloris, ex bonis carissimos eligit;
in quibus tempus vitæ abbreuiat;
quod in malis ad nauseam vsq; extendit.
Delicata mortis portio, mortalium optimi;
quos Nestoras esse oportuit, Titi fiunt;
dolore immenso, remedio nullo;
cùm bonæ mentes, non maiori numero constent,
quàm & Gratiæ.
Triumphale Flumen Tuum
Magne SRENIAVIORVM Sanguis,
Si vnquam cordis gemmam habuit, nunc certè amisit;
eò cariorem, quod ægrè ostensa;
delicio sui & gaudia irritauit, & luctum.
Flos hominum, Matronarum gemma,
ILLVSTRISSIMA olim & MAGNIFICA,
SOPHIA à Potok LIPSKA,
dulce bonum, sed in puncto;
gutta nectaris, sed nunc absinthij mare;

 in sta-

in ſtamine vitæ, ſupra vicenas hyemes vix progreſſa,
telam Penelopes ſcidit.
& adhuc ex iuſtis lachrymis SRENIAVÆ diluuia ceſſant?
Liquefieri Nioben oportuit,
dum cor egerit, quod amantibus ſuperſtes fruſtra animat,
quando deſiêre quos amauit.
Tenerrimus amor, ad deliquia cordium torcular ingens;
alto dolore quod exprimit, etiam in maribus animis liqueſcit.
Nec SRENIAVÆ indecorum,
quanquam cordatiſsimos Heroum pariat;
aliquid ex rigore cordium remiſiſſe, dum iuſtæ lachrymæ poſcunt,
Immane cordis vulnus,
Matronarum Lectiſsima, ante diem erepta.
Oſtium hoc prorumpentibus lachrymis, ſi non ſatis expanſum?
nihil eſt in humanis, quod Heraclitus fleat,

Ergo

Nympharum SRENIAVÆ Ocellum,
flumen ſuum lugeat, cui rarò ſimiles dabit.
indole ſpectatiſsimâ, animo compoſito,
moribus ſuauiſsimis, conſcientiâ illibatâ,
Cryſtallinis fontibus ſuis, ex quibus prodierat, reſpondit.
Nimirum in Gange ſuo gemmæ,
aurea in Pactolo ramenta, non celantur.
A Sanguine Paterno,
Venit in eius decora gentilitium flumen,
Heroibus fecundum, Triumphis nobile,
Othomanæ Propontidi ominoſum.
Multæ circa illud Manubiæ ſed maximè Orientis:
Bellatoribus SRENIAVIIS, non ad Phrygium vellus;
Sed ad Victorias ex Thraciæ Boſphoro,
felicibus in eo Argonautis.
Sed quàm terruit Rhodopen, & Hebrum in armis,
triumphalis hæc vnda;
tàm in togæ, paciſq; delicias, & guſtus,
& in ſacram Muſarum Hyppocrenen, docto latice fluxit,
Mentium cultiſsimis amica hæc cryſtallus,
politum omne, terſumq;, etiam in calamos ab ingenijs fudit.
Vtraq;

Vtraq; hæc gloria SRENIAVIIS ex voto,
Pyrrhos, aut Cyneas poscas;
immortali genio, æquè Martem sapit, & Consum,
quin & ad Musarum quoq; delicias genius hic pertinet;
qui in aureum
VENCESLAI à Potok POTOCKI ebur,
Mæoniden totum cum Hellade,
Parthenopen cum Latio transfudit.
Tanti nominis Parentem, hic ego Te indigito,
Ciuium Hymetti, & Atticæ mens suauissima,
qui animo, & stylo sapiens,
SOPHIAM genuisti,
dignam Ioue suo Mineruam.
Speculum animi Tui in ea pellucidum,
Satis ostenderat Patrem;
cùm nullam illi, vel ipse Protogenes, lineam addidisset;
Quæ Paternæ mentis lineamenta non referret.
Ad numeros Tuos mens illi concinna;
etiam manus Melpomenen egit,
dulcem affectuum harmoniam non inuenustè secuta;
Serenitas exinde pectoris, opaca noctium exclusit,
non fulgure illo, sed claritudine verâ;
quâ eam tot Illustrium Virorum, & factorum conscia,
à teneris circumfudit,
ILLVSTRISSIMA MORSTINIORVM
Cynthia, & Aurora.
Materni Sanguinis iubar hoc,
CATHARINA MORSTINIA Parens,
ex tot in se deriuatis splendoribus traxit.
Nimirum MORSTINII,
Principum Serenissimis dilecti,
à Sole Maiestatis, sydera sua non absorpta,
in Orbis faciem extulêre:
Cynthiam non plenam, sed pleniùs semper augendam;
diem immortalis gloriæ, cum Aurora sua
habituri semper Orientem.
Ad Coronata Europæ capita,
nullum os augustiùs,

arcanorum Maiestatis, non aliud archiuum maiùs;
Epidaurios serpentes ad custodiam non poposcit;
quando *satis custodiæ,*
vbi fidei illibatæ, animi, & prudentiæ satis,
An verò
à corde Principum ad Thesaurum Regni,
non est virtutis, Viâ Regiâ processus?
quando, *infidus omnis ærarij publici custos;*
qui prius æraria cordis non seruauit.
Sigillum hoc mentis, etiam manum non resigillat;
nec indiget Hephestion gemmâ annuli;
Cui Alexander ipse maximum est sigillum.
Ex hoc
Bonarum mentium censu,
SOPHIAM à Potok LIPSCIAM
Paternæ, Maternæq; propaginis series recensuit;
Pulchritudo animi eius vtrinq; deriuata,
& SRENIAVæ limpidum, & LELIVæ serenum habuit,
etiam corporis formâ tam præstante;
vt bonam hîc animam pulchriori datam,
malus etiam Priamides decreuisset.
Virago excelsum animum induta,
pietate, modestiâ, pudicitiâ,
pectoris illibati curas virgines sepsit;
arcanum suum Vestale nemini pandens;
donec superûm voluntate constaret;
Cui Heróùm, Beryllus iste mentium seruaretur,
Ad SRENIAVAM tamen pertinuit,
decus hoc pudicissimum,
Tibi Fortissimo Heroi
JLLVSTRISSIME & MAGNIFICE DOMINE
IOANNES de Lipie LIPSKI
Sandeceń: Chouień: Capitanee.
ad thori & animi solatia datum.
Nefas erat limpidissimi fluminis Nympham,
extra hoc liquidum elementum viuere;
ex quo Patriæ salus, libertas, & securitas viuit.

Ad

Ad Etesias mentis Tuæ,
tranarant cum ea, vndis ad Te SKENIAVIIS,
Gratiæ omnes;
vt Coniux omnium suauissima
Gradiui Tui seueriorem genium, & curas publicas temperaret.
Concessisti Iunoni Tuæ fulmen sæpè bellicum;
Sed in Enceladum Orientis, Mæoticosq; Tytanas,
tanto ardentiùs iturum:
magnitudine animi eius inconcussâ,
quoties contra hostes Patriæ Martem induisti;
Ceu vna ex Lacænis, nunquam Te magis diligeret,
quam cum Termopilas;
aut Sparthanum contra Euphratem robur cogitares.
Pro trophæis illa Tuis,
manus in cælum supplices tetendit;
illa animi pietate, illo ad res Diuinas affectu;
quo breui ituram, dignæ superis cogitationes præcedebant.
In flore ætatis Heroina,
quanquam nihil dignum indole suâ censuit;
quod Deboras, Iudithas, Cornelias, non deceret;
mirâ tamen animi mansuetudine
in omnium Viscera iuit, cum pietatis suæ viscera,
nemini clausisset.
Subditorum, & Christi pauperum Mater
nihil dulcius habuit, quam parere cum gemitu,
virtutum maximam charitatem.
ita animo pulcherrima Rachel,
non multum enixa, multo plures charitate nutrijt,
quam si genuisset.
Comis, affabilis, benigna,
vitæ breuitatem beneficijs vt extenderet;
ipsas etiam indigentium cogitationes anteuertens,
dum continuat beneficia, nullum gratitudini locum reliquit;
felicissimâ obligatione,
vt qui non exoluerant viuenti gratiam, prorogent mortuæ vitam.
Dixisses eam præuidisse,
quam non longè distaret à portu, in quo vitæ carbasa cessant;
ita vrgebat bonis operibus dies;
indignum reputans, meliores curas ad ætatis Vappam reicere;

quæ raro non in peius acescit.
Ad momentum illud, ex quo æternitas pendet,
momenta omnia tempestiuè direxit.
de compendio vitæ non solicita, sed rectè factis matura,
intra medicos à calce, ad columnam decursus,
rem ita serio egit;
ceu vixisse simul cæperit & meruisse.
Ita mors turpiter elusa,
dum ætatis non animi fastos inspicit;
celeriùs à prouida virtute, contra se actum erubuit;
quàm illa præcociùs maturauit.
Inter amantium dolores gemitusque,
sola mortem excepit, ceu gratias ageret
felici obitu læta;
quod flumen suum, eò vnde venerat, ad DEVM fontem vitæ;
purâ conscientiâ,
ad mare vitreum simile crystallo rediret:
Breui Spatio circumscriptam,
compensatione meliori immensum illud iam ambit;
de cuius abysso voluptatis, sola Diuina abyssus,
in voce catharractarum suarum id loquitur;
quod in cor hominis non ascendit.
Ab hac spe, solatij non gutta, sed flumen;
quod cum hactenus iustis lachrymis exundasset;
iam nunc, in perennem eius memoriam, gemmis, non lachrymis fluat;
quæ cordibus omnium inuiscerata, dulce non desijt esse,
etiam post fata.

DELITIVM.





ra,

vitæ;

fluat;
ſe,